

1639, 1 9

Σὺν Θεῷ

THEOREMATVM
URANOGRAPHI-
CORVM

PENTAS PRIMA
E Liberioris Philosophiæ Fundamento

λόγῳ καὶ πείρῳ

pro

Afferenda Veritate

In Florentissima Borussia Academia, Consen-
su Amplissima Facultatis Philosophicæ

Publico Examini subiecta

PRÆSIDE

M. DANIELE LAGO

RESPONDENTE

JOHANNE BECKHERO
Dantiscano

*Ad diem 16. Aprilis in Auditorio Philos.
phoris à 1. pomeridianis.*

Regiom: Typ: Hæred; Segebadii 1639.

14



VIRIS

*Excellentissimo, Clarissimo atq; Ex-
perientissimo*

**Dn. CHRISTOPHORO TIN-
TORIO**, Philos. & Medic. Doctore, e/us-
demq; Facult. in almâ Besiloreâ Prof. Publ.
celeberrimo, p. t. ProDecano.

Nec non

Præstantissimo ac Spectatissimo

Dn. CASPARO Panzer / Pharmaco-
pœo Electorali Solertissimo

tandemq;

Spectatissimo & Integerrimo

Dn. RÖTGERO Eissenbrof / Negotia-
tori apud Regiomontanos facillè
primario

Præceptori, Fautoribus atq; Promoto-
toribus suis æviternum
venerandis,

*In grati animi indicium ulteriorisq;
favoris stimulum Disputatio-
nem hancce Uranographicam*

D. D. D.

Iohannes Beckherus.



Qvod de gentibus fastu & jactan-
tâ iurgidis Apostolus Rom. I. asserit:
ἐμβαλιώθησαν ἐν τοῖς ἀγλορησμοῖς αὐτῶν.
φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμαργίνθησαν, id
per quam bellè & in Jesuitarum co-
hortem quadrat. Si enim Suffeno-
rum aliquis singularis Sapienciæ & Ingenij divitias
sibi arrogaverit unquam, certè turpissimum illud
ἀνθαδείας & ambitionis vitium hujus farinae homi-
nes ita invasit penitus, ut ipsos non amplius hospi-
tes sed domicilia teneat. Si vero a. pretio rem
quamq; æstimemus, pro gemmeis vitrea, pro laureis
cupressina, pro augustissimis Sapienciæ Oraculis
meræ ineptiæ ac spumæ verborum inanes occurrent
passim, seu Theologiam ipsorum spectes, seu philo-
sophemata. Quid ita? Nimirum utriusq; facultatis
solidum fundamentum malo jure, malo more dese-
runt; à Verbi Divini Pandectis ad Conciliorum
Decreta & traditionum varia commenta refugiunt,
ac ubi Naturæ lumen sedulo sectari decebat Schola-
sticæ turbæ placitis se totos emancipant. Quam-
obrem in Palæstram iterum Philosophicam proditu-
rus, non omnino ἔργον ἀχρήστου πράγματος facturus
mihi videor, si Dogmatum quorundam Jesuitico-
rum, quæ illorum scriptis ultro citroq; continen-
tur, vanitatem Disputationibus nonnullis Urano-
graphicis ob oculos posuero. Largire tuam gra-
tiam O æterna DEI Patris Sapiencia!

13

A 2

Theo-

THEOREMA I.

Cœlum è Materiâ & Formâ idios sic di-
ctâ esse compositum absurdissimè negatur.

Forma nimirum cum Materiâ seu εντελέχεια cum
δυνάμει & essentialem Corporis cuiuscung. Naturalis con-
stitutionem & omnium suffragio approbatam Definitio-
nem absoluit. Ut corpus fingere Materia vel Formæ ex-
pers sit σιδηρόξυλον quoddam & somnium facere absq. so-
rno dicente Scaligero exercit. 359. h. e. rudissimam im-
plicare ωσιφασιν εν θεωρημένω. Adde quod Affectiones
à Materiâ & Formâ genuinâ ἀμέσως promanentes,
Quantitatem puta huiusq. individuos comites, subtili-
tatem pelluciditatem &c. non minus in cœlo quam cate-
ris corporibus deprehendamus. Non desunt camen è
Scholasticorum numero sat multi & ordine in fama sano
ac Mnemosynes delubro non postremi, imo ipsi agminum
Ductores, quos nescio quæ incessit religio quo minus com-
pagem Materia & Formæ Cœlo tribuant, ne quicquam
sc. adeò absurdum remaneret, quin sui Patronum inve-
niat. Unde Materiæ Formalis & Formæ Materialis
(forsan & Substantiæ Accidentalis & Accidentis Sub-
stantialis) miro & monstroso titulo machinam cœlestem
insignitam eunt. Et alii quidem Materiam, alii For-
mam impugnant. Videndum igitur, quibusnam ar-
mis se tueantur. Δεῖ γάρ ἀμφὶν ἀκροῶσθαι. Materiam
ajunt, πανδεχὴς atq. Universalem Formarum mutuo sibi
succedentium favissam, promptuarium & receptaculum,
ad corruptionis noxam atq. maleficium corpus unumquod-
que destinare per Formæ prioris abiectionem & alterius
admissionem (cum omnis potentia contradictionis sit ad
esse

esse simul & non esse) eamque non aliunde quam ex assiduâ
variarum corruptionum observatione Aristoteli innotu-
isse. Calum autem ἀνευντων esse γενεῶν & θάπτων: ad hoc non
convenire legibus optimis temperata Civitati, idem ut
sit pro vehiculo Principis & Cerdonis, idem Cali gerat
Formam & Scarabai. Sed proclivis & expedita est ad
ratiunculam hanc Responsio. Requiritur sanè ad pera-
gendam omnis transmutationis opus cum primis Materia,
verum nunquam Efficientis Cause, sed perpetuo Subjecti
duntaxat & Principii Passivi rationem sustinet: a. a.
Corruptio quidem Materiam certo arguit, sed hujus præ-
sentia non statim ejus necessitatem importat. Radicem
corruptionis & Originem ipsam collocari oportet in solu-
bili Formæ & Materia nexu. Hic unde pendeat si qua-
ratur, scias recurrendum esse ad peculiarem ἐυδονίαν καὶ
ὀικονομίαν Supremi Naturæ Parentis, DEI nostri Glorio-
si. Is corporum alia (sola sc. mixta) variis obnoxia mu-
tationibus condidit, ac modo introductâ quâdam ἀνωμα-
λίᾳ solutoque Vinculo, quo Colligata partes heterogeneæ
sub Formæ potioris dominio ad unitus compositi integra-
tem harmonicè conspirabant, interitus subire aleam, mo-
do ad conservandam speciei perpetuitatem & systematis
mundani perfectionem generationis adminiculo propaga-
re voluit, alia vero in eo quem semel adeptæ sunt, statu
jugiter perseverare ut simplicia, Homogenea quippè &
istis partium diversarum apparatu destituta. Quid præ-
terea dicam de corporibus gloriosis? Eandem illa ἁγία
cum nostratibus hisce participabunt & nihilominus cum
seminentur ἐν φθορᾷ resurgent ἐν ἀφθαρσίᾳ 1. Cor. 15.
Quo privilegio etiamnum inter Paradisiacam delicia-
rum ubertatem, non obstante Materiâ, potiremur, si per
Protoplastarum πνεύματα licuisset. Dicant Antago-

nista an non stante sua Hypothesi: Compositionem quamlibet cum corruptibilitate esse conjunctam, ipse Supra mandanorum Spirituum exercitus mortalitatis fato subiatur: siquidem & hosce suo modo compositos esse Jesuita non dissentit, e subjecto nempe & Accidente, nec non aliquo similitum Forma & Actui, tum Potentia seu Materia, Esse & Essentia. Imo cum compositio hujusmodi non minus in calum cadat, quo pacto a corruptione Physica illud jam vindicabitur? Neque formidandum, futurum ut ob materiam Caeli Forma vilesceret (Mera enim Receptivitas & Passio est, atque in Formam agere minime valet) sed e contrario propter Formam Caelestis nobilitatem Materia plurimi fieri debet. At Formam cur Caelo adimunt Internam & Informantem? Quia ipsius partem vicariam sorte adornandam Formae cuidam Assistenti, motrici Intelligentiae vel Angelo tradunt, quem machinae caelesti, affigunt ut navigio nautam, aut aurigam currui. Quamquam autem Responsi loco sufficiat, quod Peripateticorum alii quibus

De meliore luto finxit praecordia Titan

occinere solent, praeter Assistentem Intelligentiam opus etiam esse Formam quaedam Internam, ut ipsam $\tau\acute{o}\ \pi\ \eta\upsilon\ \epsilon\iota\upsilon\alpha\iota$ Caelo largiatur Materiamque perfectionis suae complemento ad certae speciei constitutionem instruat & ad recipiendum Formam Externae Influxum ac Impetum idoneum reddat, tamen si verum fateri fas sit veritatis studioso.

I I.

Intelligentiae Corporum Coelestium motrices nuda sunt Ethnicorum figmenta,

Agrutantur quidem; Quicquid non movetur ob
suam

suam perfectionem id præter Naturam movetur ab Agente
quodam Externo. Cælum non movetur. E. Minorem
probant quoniam corpora ἀψυχα motu naturali unice ad
locum idoneum tendunt, quo Cælum jam fruatur. Sed
tantum abest, ut è motu corporum Cælestium Causa sua
patrocinium petere queant, ut hinc proprio potius iugu-
lentur gladio. Contrahi enim debet Major hæc limita-
tione: Quicquid non movetur ob suam perfectionem nec
in gratiam alterius, id movetur ab alio. At sic corrui-
t Minor. Corpora quippe ætherea per Naturam in primæ
Creatione destinata sunt ad distribuendam noctis atq; diei
vicissitudinem adeoq; ad conservandam & provehendam
Inferiorum salutem & commodum. Neq; hoc infician-
tur Adversarij, dum stante Cælo stare cætera omnia: Item
ne rotam quidem figuli vel minimum hominis digitum mo-
veri posse nisi Cælum moveretur, Et omnium Opificum
manus à motu cessaturas, quamprimum Cæli motus cessa-
ret in Adagio asserunt. Invertimus proinde contra illos
ipsum argumenti cuspidem hunc in modum: Omnis Motus
Naturalis fluit à principio Interno. Cæli motus est
Naturalis. E. Adjicimus & illud: Quicquid efficere
propria stellarum Natura valet, id perperam ad causam
aliquam externam refertur. Atqui motum efficere pro-
pria valet Stellarum Natura. E. Major patet, quia fru-
stra multiplicantur Entia præter necessitatem. Mino-
rem probo quoniam Creator ubi munera sua Stellis de-
mandavit, procul dubio vires etiam sufficientes unâ con-
cessit. Alias insigni adhuc imperfectione laborarent.
Deniq; temeraria est curiositas homine Christi mysteris
initiato indignissima nova Angelorum munera cadere,
de quibus in Sacro Codice altum silentium.

III. Ma-

Materiae Cœlestis & Elementaris diversitas ex Elementorum mutuâ Transmutatione demonstrari nequit.

Ad probandam Materiae Cœlestis & Elementaris diversitatem urgent potissimum perennem à transmutationis lege Cœli immunitatem. Hanc enim Materiae convenientiam tolerare negant juxta tritum Axioma suum: Quaecumq; communicant Materiâ invicem transmutantur; Idq; ἐὐδηλον evadere ex Elementorum inductione audacter statuunt. Sed quo audacius eò falsius. Propugnare autem hocce dogma satagunt duplici munimento Rationis & Experientia. Utrumq; audire libet. Quanquam illa Ἀγενοίας sua ἀπρῶσ' αὖν hac superficiales suas Natura contemplationes affatim prodant. Ratio est, quod Elementa cum contrariis praedita sint Qualitatibus, strenuè in se invicem agant, ipsaq; Formae mutuo se pellere & ejicere è communi Materiae gremio conentur. En egregiam consequentiam! Quod si instantiam darem: Quaecumq; obtinent contrarias Qualitates invicem transmutantur. Homo & Serpens obtinent contrarias Qualitates. E. transmutantur. Vel: Aves se invicem pellunt. E. transmutantur. Ursus & Taurus in se invicem agunt. E. Ursus & Taurus transmutantur. Imo & hoc argumentum rursus ita inverimus: Quaecumq; ἐστωδῶς sibi non contrariantur, ea nec ἐστωδῶς transmutantur. Elementa, ex confessione Adversariorum, ἐστωδῶς sibi non contrariantur. Contrarietatem enim solis Qualitatibus assignant. E. Experimenti loco adancunt 1. aquam in sublimi subinde genitam.

genitam, praesertim guttas tempore hyberno fenestris conspicuè adhaerentes. Quippe quas unice fieri contendunt per $\mu\epsilon\lambda\alpha\sigma\iota\chi\epsilon\iota\omega\sigma\iota\nu$ Aëris frigidioris in aquam. II. Ignem focalem qui affusâ aquâ extinctus cum in nihilum redigi nequeat, naturam aëris illum necessario induere concludunt. Rursus ineptissimè. Fieri quidem non raro in Aëre aquam nemo ignorat, Num autem ex Aëre statim ipsam fieri oportet? Neutiquam. Quin potius semper aquam generari experimur ex halitibus seu atomis aqueis in altum elevatis & postea in unam massam homogeneam compactis. Ita fit ros, grando, imber, nubes, nebula & quicquam unquam Meteororum aqueorum fuisse formatum. Ita sunt haec quoque stillicidia, quae per brumam in fenestris intuemini, Viri Jesuita, ut vacca portam albam. $\text{Αναρπιοβήλεγον} \text{Ιεραρχιον}$ si experatis, adite vaporaria & idem evidentius vos edocebunt. Unde enim guttae illae oriuntur, quae hic circa fenestram in oculos vestros incurrunt? Nonne è vaporibus ex aquâ calefacta ascendentibus & mox, ubi corpori cuidam solido impinguntur, arctius conglomeratis Ignem quod attinet, neque is annihilatur planè ac destruitur violento aquae impetu, neque in aërem tamen protinus transit, sed in atomos suas duntaxat per circumfusum aërem dispergitur, quae ob exilitatem Quantitatis suae visum effugiunt. Similiter aquam à terrâ absorberi & contrario itinere hanc aquam dilui & cessante ejus agitatione subsidere quotidie videmus. Aquam vero & Terram mutuo transmutari nunquam vidimus. Generatur itaque unumquodque elementum per particularum suae speciei aptitudinem & unionem, corrumpitur vero per earundem disjunctionem & separationem. Et proinde si Materia communio secum non trahat transmutationis vicissitudinem, nec diversitas ex transmutationis negatione fundamentis Apodictico poterit probari.

Coc.

B

Coelum non est corpus densum & solidum sed subtile & instar aëris fluidum.

*Ætheream Regionem densam & contiguo Sphaerarum ordine concameratam fingunt Scholastica Philosophiae sectatores, perinde ac in cepis una cuticula alteram ambit & in Ovo vitellus albumine, hoc putamine comprehenditur. Ac pro motuum quidem caelestium varietate cum Ptolemaejis plerique decem numerant. Orbi extimo primum adscribunt Motum seu diurnum, quo ab Ortum in occasum C. S. S. super Polis Equatoris 24. horarum spacio circumvolvatur, donec ad idem redeat punctum, unde motus initium sumpsit. Nonum ex adverso S. S. S. ab Occasu in Ortum super Polis Zodiaci tendere docent. Octavum stellis fixis exornant. E septem inferioribus singuli singulas Planetas ijs vehunt. Quamobrem & certam geniorum Hierarchiam condentes peculiarem cuilibet orbi motorem praeficiunt. Caterum licet orbium hujusmodi congeries si pro meris Hypothesibus venditentur, retineri quammaximè possint, cum parum referre credatur quibusnam normarum inventis Mathematicus utatur, modo caelestibus *Φαινόμενοι* respondeat calculus, in Naturam tamen ita temerè introduci non debebant. Nam uti *Ιένος* sine lege, ita Natura consultus omnia ratione quidquam asserere nefas ducit. Et sane si nihil asserremus aliud, vel unico hoc argumento tot orbium figmenta confutarentur abundè, quod recentioribus Astronomorum experimentis è diametro repugnent. Observatum enim est Planetas non tantum in tractu suo modo ascendere, modo descendere atque adeo Diametrorum Quantitatem modo majorem, modo minorem praeseferre, verum etiam unum supra al-*

serum

teram vel attolli quandoque, vel infra alterum deprimi.
Quod positis sphaeris realibus, citra dimensionum penetra-
tionem, aut vacui, à quo Natura tota abhorret, introductio-
nem quomodo eveniat? Adhuc si solidà è mole conflatum
foret Caelum, multiplicato ob diversam tenuitatis & Dia-
phaneitatis dispositionem medio, refractè semper & extra
genuina loca (nisi Horizontis polum attigerint, ubi perpen-
diculariter medijs omnibus insistant) Stella aspicerentur,
& per consequens periret funditus omnis observationum
Astronomicarum certitudo. At exquisitè admodum depre-
hendi posse siderum loca tum regularissima horum revolu-
tiones, tum exactissimè æquinoctiorum & Eclipsium præ-
dictiones satis superq; comprobant. Refractio a. nulla
animadverta est præter eam, quam circa Horizontem ex-
halationes aqua & terrestres paucis gradibus insinuant.
Neq; explicare hæctenus quispiam valuit cujusnam Orbis
ductum Stella nova s. Extraordinaria sequantur, quippe
quas motu planè singulari in æthere progressos esse constat.
Denique cur scriptura s. communem $\pi\pi\pi$ s. expansi is-
tulum Cælo & Aëri impingeret, quam ad indigitandum
tenuem & liquidam utriusque materiam. Aëri autem s.
speculo fuso comparatur Job. 37. non quoad substantia
condicionem, sed ratione perennis durationis ac stabilitatis
sue. Proinde

V.

Stellæ in Cælo liberè suos peragunt cursus,
Cælum vero ipsum non nisi in locis move-
tur, quæ Stellæ transeunt.

Siquidem unumquodq; Corpus λεπτομερῆς magis
aptum est & idoneum ut pro medio sit motus quam ipsum
mobile

mobile. Moventur igitur per Cælum stella non quidem
κωλίσσει h. e. volutatione nec δινήσει h. e. circumgyratio-
ne, sed προκοπή h. e. progressu, ut globi metallici explosis
tormentis per aerem vi pulveris pyrij ad objectam metam
concitatissimo impetu transvolant. En iterum S. Codicis
suffragium! dum stellis passim machina cœlesti nusquam
motum attribuit. Vid. Eccl. ap. 1. Ps. 104. Jos. 10. Ha-
bac. 3. Job: 38. Lapsus Stellarum in Inferiora frustra
sis si metuas. Si enim telluri, Corpori gravissimo & in
medio aëre pendulo, fulcimentum nullum substernatur,
quidni & Stella eodem carere queant? Quæ cum ita sint,
quot, bone Deus, Scholasticorum altercationes in fumum
abeunt & summæ vanitatis eadem opera eonvincuntur?
Num sphaera octava primatum præ reliquis obtineat? An
Cælum secundum se totum moveatur an vero secundum
partes? An Poli moveantur necne? Nihil jam attinebit
anxiè disquirere: An orbico Cœlorum motui competat
contrarium? An unus Orbis habeat unicum saltem mo-
tum? An unus Orbis alterum rapiat absq; resistantiâ &c.
&c. &c. Nos manum hîc de tabulâ removemus.

COROLLARIA.

1. An principia Physica sint contraria? Neg.
2. An Materia actum Entitativum obtineat
æquè ac Forma? Aff.
3. An Formæ post Compositi corruptionem
redeant in potentiam materiæ primæ? Neg.
4. An privatio sit verum principium? Neg.
5. An non minus Casus quam Fortuna in actio-
nibus humanis locum habeat? Aff.

Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270




f
Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13



1639, 19

MATVM
APHI.
M

PRIMA
Fundamento

itate
Academia, Consen-
Philosophicae
subjecta

LAGO
TE
KHERO

uditorio Philos.
lianis.
gebadii 1639.

